

per. in princ. de Testamen.) ideo Jurium antiquorum Professor seu Canonicus Cathedralis Cracoviensis, ut Auditores et antiqua non ignorent jura et in novis exercitium habeant, Rubricas ex Decretalibus Gregorij IX. ordine depromptas, aut etiam (quod satius est) plausibiliores ad placitum sui et Auditorum suorum ex Libris earundem Decretalium selectas ac novis juribus exornatas, habito respectu ejusdem Senij, laboris in ante impensi et quotidianae Ecclesiae Cathedralis visitationis, nisi sit a laboribus dispensatus, per se, vel summi substitutum Professorem ab Universitate juxta antiqua Statuta Universitatis salariandum, semel tantum in Septimana, hora sexta matutina, aut tertia pomeridiana, vel alia opportuniori, modo ordinariam Lectionem non impediat, praeleget suamque Lectionem seu rubricam ex Libris Quinque Decretalium (ut praemissum est depromptam indecursu unius Commutationis, aut ad maximum duarum finire cum effectu curabit et erit adstrictus. Finis enim est nobilior omnibus, quae sunt ad finem. (arg. l. Et si non sunt. §. Infecti. et §. Perveniamus. ff. de auro et Argen. legat.)

STATUTUM XXVI.

De non involando in materiam alterius Lectionis.

Quia paria sunt non incipere vel caepta non perficere. (arg. l. fin. §. penult. C. de Codicill.) ideo ut quilibet Professor Lectionem suam in tempore Statutis superioribus praescripto finiat, non solum brevitati juxta praemissa studere tenetur, sed etiam in materiam alterius Lectionis involare non debet, alias non esset sine culpa juxta tritissimam Utriusque Juris Regulam. Non est sine culpa, qui rei, quae ad eum non pertinet se immisceat. (c. Non est. de Reg. Jur. in 6. et l. Culpa est ff. cod. tit.)

STATUTUM XXVII.

De Commutatione Lectionum inter Professores facienda.

Quam sit proficua et docentibus et studentibus in omni jure exercitatio, ipsa efficax rerum magistra experientia manifestat.